

- tum custo-  
dia XXIV. Custoditur Religio, dum illa diligentissime explicatur, dum sobriè de ejus articulis disputatur, ut de ejus veritate eò certior fiat populus, & in eadem constantior.
2. publica  
informatio,  
ubi de XXV. Succedit publica informatio, puta quod liberi non tam parentibus, quam Reipublicæ nascuntur: hinc communis quoque illos instituendi ratio suscipienda, quo ita commune medium ad finem communem perveniat.
- Academiis, XXVI. Huic rei inserviunt Scholæ tum triviales, tum universales vel Academiae.
- XXVII. Suntque Academiae nil aliud, quam ipsius sapientiae officina, ubi iis, qui naturâ apti nati sunt, rerum optimarum cognitionem sibi comparare licet: quò ita quis partem meliorem, mentem videlicet, excolat, ac cum intelligit, mentem in homine partem esse præstantissimam, ejusdem imperio affectus turbidos, & ea, quæ sensibus tantum grata sunt, amplectentes subjiciat.
- officio tam  
Præceptorum, XXVIII. Hic jam officium tum Præceptorum: quòd est curare, quò discipuli, tum doctrinam liberalem sibi comparant, tum mores probos induant: tum discipulorum, quòd est tum diligentiam & studium in rebus cognoscendis adhibere, tum præceptoribus obedire: nec non Salaria Præceptorum attendenda.
- quàm Dif-  
cipulorum XXIX. Et quia optimarum artium cognitio summam Reipublicæ affert utilitatem, Jurisdictio peculiaris Academiae ab Imperatoribus est concessa; uti Philosophiæ cultores apud Magistratum tantummodo suum conveniantur: licet in Parisiensi Academia actor studiosus reum civem ad suum forum trahit, idque ex singulari privilegio.
3. jus lega-  
tionis XXX. Tertio spectetur jus legationis, quòd sacrum; cum legati apud omnes gentes sacrosancti habeantur.
4. fœdera Hic, ne legati violentur, sedulo attendendum.
- XXXI. Huc pertinent fœdera, quorum usus, ut mutua alio-